

eorum molendinum situm in villa Pyscopicz^{b)}, quod annuatim in censu solvit sex solidos grossorum cum dimidio, quatuor pullos et unam sexagenam ovorum dicto nostro capitulo liberum et exemptum ab omnibus exactionibus, precariis, talliis, angariis et perangariis et iurisdictione qualibet, iudicio supremo duntaxat excepto, quod nobis et nostris successoribus reservamus, assignavimus et donavimus, ipsumque molendinum in dictum nostrum capitulum cum omni iure, utilitate, honore, libertate et iurisdictione, iudicio tamen supremo, ut praemittitur, salvo, transtulimus et transferimus per praesentes, renunciantes expresse pro nobis et nostris successoribus praeter iudicio supremo, ut praefertur, omnibus iuribus nobis et ipsis competentibus in molendino supradicto. In quorum omnium testimonium praesentem litteram scribi fecimus et nostri sigilli maioris appensione muniri. Datum et actum Stolpin anno domini M^o.CCC^{mo}.LIII^o.XXIII^a. die mensis Januarii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs an einem von der Urkunde selbst zum Theil abgetrennten Pergamentstreifen.

b) Piskowitz, Par. Zehren.

No. 469. 1353. 11. März.

Probst und Capitel fassen den Beschluss, dass hinkünftig kein Domherr Sitz und Stimme im Capitel haben soll, dem nicht eine der obern Präbenden nach dem Willen des Capitels durch den Decan oder dessen Stellvertreter überwiesen worden, und B. Johann bestätigt diese Bestimmung.

Nos Johannes de Strelis praepositus, Theodericus de Gogh in medicina magister, decanus, Hermannus de Wolfnitz archidiaconus Nysicensis, Paxlaus de Nymandis, Palbertus de Mülhusin cantor, Otto de Donyin plebanus in Donyin, Mychael de Somirvelt, Tyczko de Capelndorf scolasticus, Henricus de Slynicz, Albertus Knüt praepositus Budissinensis, Johannes de Dráynicz, Henricus de Ysinberg praepositus Wurcinensis, Otto de Donyin plebanus in Lubauia, Conradus de Walhusin, Nycolaus Ebirhardi decretorum doctor, archidiaconus Lusatiae, Conradus Pruze et Fridericus de Miltitz, canonici ecclesiae Misnensis capitulum ecclesiae Misnensis facientes et repraesentantes ac totum capitulum iam dictae ecclesiae vocatis omnibus absentibus et praesentibus, qui potuerunt et voluerunt interesse inter nos tractatus habentes, quia propter importunitatem quorundam canonicorum dictae ecclesiae Misnensis petentium sibi vocem in capitulo dari et locum in stallo, seu stallum superiorem in choro assignari, ipsa ecclesia nostra Misnensis et nos ipsi ut experientia docuit, grave a nobilibus et potentibus pro ipsis preces suas porrigentibus sustinuit et sustinuimus periculum et gravamen: Nos huiusmodi periculis prout nobis possibile fuerit, viam praecludere cupientes, de concordi omnium nostrum nec non de expresso consensu et voluntate reverendi patris domini nostri domini Johannis episcopi Misnensis statuimus, volumus et ordinamus, ut de cetero nullus canonicorum dictae nostrae Misnensis ecclesiae vocem in capitulo vel stallum in choro superiorem habere debeat vel possit, nec sibi dari vel assignari, nisi actu maiorem praebendam seu unam de maioribus praebendis habuerit, quae sibi per dominum decanum Misnensem pro tempore aut decano mortuo vel absente per seniores de capitulo de consensu canoni-